



Universitätsbibliothek Paderborn

**Novæ Observationes Et Additiones Ad A. R. P. D.
Bartholomæi Gavanti Congreg. Cleric. Regul. S. Pauli ac
Sac. Rit. Congregat. Consultoris Commentaria In Rubricas
Missalis Et Breviarii Romani**

Adiectis Summorum Pontificum & Sac. Rit. Congreg. Decretis usque ad
præsens emanatis

Complectens I. & II. Partem Commentariorum Gavanti in Rubricas Missalis
- Cum Præfatione seu Præmonitione necessaria Bibliopolæ ad Lectorem

Merati, Gaetano Maria

Augustæ Vindelicorum, 1740

VD18 10783695-002

Præfatio Auctoris novarum Observationum, & Additionum ad Gavanti
Commentaria.

urn:nbn:de:hbz:466:1-40113

P R A E F A T I O

Auctoris novarum Observationum, & Additionum
ad Gavanti Commentaria.

STUDIOSO, ET BENEVOLO LECTORI.

Ecclisia, Divina institutione, & Apostolicis monitis, & præceptis formata, in eo semper operam multam posuit, & singulare studium adhibuit, ut Sacra nostra Mysteria sua cum dignitate, & decentia peragerentur, totusque Sacrorum ordo ritè, ac rectè procederet.

Probe novimus Deum, monente Paulo, Deum esse ordinis, non confusionis; à Cœlo delapsam ad homines terrenam Hierurgiam; à Cœlesti formam sumere, ac modum, ita ut istius quædam sit in Terris imago, & imitatio. Ab ipso Apostolo latam habemus legem, & non semel inculcatam, ut in iis præcipue, quæ ad Dei cultum pertinent, omnia ad ædificationem, & secundum ordinem fierent. Quia verò fatis, superque constat extenos Ritus Christiani, & publici cultus ad conciliandam Sacris reverentiam, ad excitandam in Populis pietatem, ad servandam Mysteriis gratiam, & maiestatem, jam inde ab Apostolica ætate fuisse inductos, & observatos; si altius vellemus assurgere, & ducto à primis Ecclesiæ Secularis initio usque ad nostra tempora deducere vacaret narrationem, totamque ab origine rem describere: non solum facilè foret monstrare, quæ Christianæ Religionis, eandem esse Sacrorum Rituum ætatem; sed haud ægre quoque ostendi posset ad vitandam varietatem, & cavendam confusionem, jam inde ab ipsa origine, aut originibus

ginibus proximo tempore fuisse in publico, Sacroque Dei cultu ordinem aliquem, & rationem præstitutam; datasque Ritibus illis certas leges, & regulas, quas eos sequi oporteret, qui Sacris operabantur.

Supersunt adhuc de re Liturgica monumenta eorum inscripta augustis nominibus, quos Ecclesia post Christum habuit primos fundatores. Quod si quis contendere vellet preferre opera illa suppositum nomen; & per aliquot Sæcula, usque dum Sacramentalia, & Ritualia conscriberentur, certas eas, & statutas leges memoriae mandatas, & per constantem proxim notas, & observatas fuisse: nos non admodum difficiles haberet, & morosos; modo nobis jure largiatur, meritò libros illos liturgicos, officia, ordines, cursus, & si quo alio sunt nomine, scripto commissos, ut servaretur memoria transmittenda ad posteros, & ab oblivione, & neglectu tutius, & facilius vindicaretur; venerandæ esse antiquitatis, & auctoritatis; nec ab heri, aut nudius tertius datas, & scriptas eas leges, & regulas, quas recens ætas dixit Rubricas.

At de istis hic dicere nihil attinet: neque enim agere de Sacrorum Rituum, ac Ritualium librorum origine, usu, utilitate, vel necessitate nostri est studii. Ostendere, ut Sacri Ritus fuerint ab ipsis Apostolis instituti; ut successivè auctib[us] creverint; ut pro facta fibi divinitus potestate, & auctoritate, & pro suo item judicio, & prudentia, aut novos induxerit, aut veteres aliquos abrogaverit Ecclesia; ut ad Sacrorum majestatem, & gratiam, Populorum eruditio[n]em, & pietatem faciant; quo primùm tempore, quo[ve] fine Rituales leges fuerint scripto commissæ, Ritualesque, & liturgici libri conscripti: res est multis curis ab eruditis, & polemicis abunde tractata, & disputata. Nihil horum æquis, & prudens rerum æstimator, imò nec exactor improbus postulaverit à nobis, qui hoc tantum negotii suscipimus, ut de Ritibus Missalis & Breviarii, quatenus recen-

recentis, & probatae sunt praxeos, commentemur. Non animus hic est Sacros Mystras instructos reddere ad Palestram; sed instituere ad Altare: quare hic querant, non quæ faciant ad disputationem, sed quæ conferant ad Sacra agenda. Esto autem intra limites praxeos continet propositum sit, ita ut alterius loci, & fori videantur esse, quæ pertinent ad eruditionem, & controversiam; nihilominus tamen quandoque septa submovere, aut saltem dilatare juvabit; & hac, illac sparsabene multa reperiet lector amans Rituum Ecclesiasticorum, quibus delectari solet recens ætas, & sint ad gustum stomachi non fastidientis. Hoc autem fiet pro loco, & re nata, nec citra modum, aut delectum, præcipue ubi theoria aliqua fuerit praxim, & regulam antegressa. Si extra septa, & præfixas metas egredi, & vagari quandoque contingat, non longe admodum, aut late digrediemur: erit excursus, qui nos à via minime ducat.

His positis, abs re non erit de universa operisatione, & causis, quibus ad illud suscipiendum inducti sumus, lectores nostros paucis monere. Saluberima de nostris Ritibus præcepta, & instituta non sine Fidelium scandalō, & Sacrorum contemptu minus servari, & minus servari, quod minus sciantur; frequens erat, & justa admodum piorum æque ac doctorum hominum Quærimonia. Magnam e- quidem esse hujus generis librorum copiam ajebant; & ingentem profectò esse numerum eorum, qui Sacros Ritus explicandos, aut illustrandos suscepserunt; at hanc ipsam copiam, & multitudinem parere confusionem, & inducere satietatem: paucos etiam esse, qui omnes libros legere sustineant, pauciores adhuc, qui sibi comparare velint, aut possint: quod si comparare possent, & vellent, vix illis foret animus, aut suppeteret otium evolvendi: nam utut præcipui, & selectiores deligerentur, requirent totum hominem, ad alia plerumque distractum, totamque ætatcm aliis quoque debitam negotiis, occuparent: sic fieri, ut ipsa copia faciat inopem. E re igitur

Gavant. Rubr. Mls.

b

tur

tur fore arbitrabantur, si unus quisque Auctor, isque non promiscuus; & proletarius consarcinator, sed rerum liturgicarum mire peritus, & subaci*ci*, cui tutò fidere quisque possit, eligeretur, auctus, & illustratus edendus in lucem; potius enim, quam novum edere, præstare vetus aliquod opus constantis famæ, & existimationis auctum, & illustratum emittere; ex quo uno proponerentur, & exponerentur omnia, aut præcipua, quæ factu, & scitu digna viderentur, & opportuna; additis suo loco recentibus Summorum Pontificum, & S.R.C. Decretis, quibus corrigerentur, siquæ emendanda in dicto opere reperiantur, & innotescerent omnia ea, quæ ad praxim Sacrorum Rituum, & ad Rubricas tum Missalis, tum Breviarii Romani magis, magisque illustrandas conferre possunt.

Nec diu, nec multum laborandum fuit de Auctore: talem si quidem, ac tantum facilè fuit invenire in inclyto, & celeberrimo Gavanto. Vix alius Scriptor huic proposito magis accommodus. In hac disciplinæ parte prodierunt utique Scriptores multi laudatissimi: at verbo absit injuria, & invidia, inter multos, eosque laudatissimos jure merito dederis Gavanto principem locum, sive doctrinam species, sive diligentiam. Si cætera deessent argumenta, Scriptoris meritum plus satis probarent tot ejus operis editiones. Nulli nobis detrahere animus est, nec ullius volumus elevatam, aut imminutam existimationem: cæterum in tanta hujus argumenti librorum copia vix, ac ne vix quidem opus occurret toties pœlo commissum, quod ætatem tulerit, & cui sua semper constiterit fama, & existimatio. Jam inde ab Anno 1628. Romanis typis apud Franciscum Caballum unico tomo in folio emiserat in lucem Gavantus sua Commentaria sub hoc titulo: *Commentaria in Rubricas Missalis, & Breviarii.* Ex quo innotuit, ea cupiditate, eoque studio, & plausu hoc opus acceptum fuit; ut brevi, omnibus ferme exemplaribus distractis, nova curari debuerit editio, quo fieret satis votis eorum,

qui



qui undequaque illud quærebant, & flagitabant. Factum id est Anno 1630, & iterum excusum est opus, quod prodiit ex Typographia Cameræ Apostolice duobus tomis quaternariâ, ut ajunt, formâ, novo hoc inscriptum titulo: *Thesaurus Sacrorum Rituum, seu Commentaria in Rubricas Missalis, & Breviarii, &c.* novam hanc editionem Auctor ipse recensuit, novis Decretis locupletavit, & auxit plus quam trecentis notis asterisco indicatis. Ex hac posteriore ab ipso Auctore aucta, & recognita, Venetiis, Parisiis, Lugduni, Coloniæ, & alibi insignium, & illustrium locorum usque ad quartam supra vigesimam, quod sciamus, novæ curatæ sunt editiones, non sine aliquo suo auctario: inserta enim sunt operi pauca quædam recentiora Decreta; additæque incognitâ, & aliâ, quam Gavanti manu, tenues quædam notæ, aliquando nullo signo, aliquando vero hoc signo † indicatæ.

Cum novam magis adhuc auctam, & illustratam Gavanti editionem doctis, ac piis viris placere vidissim; & æque mihi ac illis persualsum foret, bene consultum id esse, & dignum, quod maximam gratiam injiret apud eos, qui Sacra colunt: non multis expugnandus fui, nec admodum urgendus, ut hoc negotii quantumvis ingratum (laborandum siquidem erat in alieno fundo) in me susciperem; ratus id licere, & convenire quam maxime homini, cui agitur decimus octavus Annus, ex quo censeri datum est inter eos, quos Sacra Rituum Congregatio habere dignatur Consultores, quosque profecto ea juvat præjudicata opinio, quod in lectione, & præxi Rubricarum sint admodum versati, & exercitati.

Habes suscepiti operis causas: restat modò, & necesse videtur prefari, quid à nobis præstitum fuerit in hoc opere, ut intelligas, quid ab eo fuerit expectandum. Postquam de iterata hac editione fuisse statutum, prima cura fuit, primumque studium, ut, quantum sieri poterat, Gavanti textus emendatus prodiret, & limatus: qua-

re à nobis non mediocris diligentia adhibita est, ut præstantissimas Auctoris editiones præsto haberemus: cum autem à nobis undequaque conquistatæ, & collectæ fuissent; male habuit animus, quod in non paucas incideremus, erantque ex auctioribus, quæ per vulgus circumferebantur, tot spiffis, & pinguibus mendis scatentes, ut nos misereret admodum Auctoris alioquin clarissimi, cuius videmus vel faciem primam, Typographorum sive vitio, sive oscitantia fœde inquinatam, & depravatam. Nec certe aliud expectari poterat per toties iteratas editiones à bibliopolis, quibus fere magis cura est quæstus, quam res literaria. Cum enim alii ex aliis codicibus festinanter transcriberentur, & excuderentur, nec ullus forte esset, qui præcesset emendationi; quæ prioribus irrepserant menda, non solum adhærebant posterioribus, sed nova identidem subrepabant rudibus ignaris, & præpropere festinantibus, ut potius protrusum, quam diligenter excusum opus videretur. Eluere has fordes est qui putet inter Herculeos labores; & quam plenum sit molestiarum, & fastidii negotium, facile intelligit, qui amet capere, ant cœperit unquam experimentum. Vincendum fuit fastidium, ut Sacrum Cæremoniæ studiosi haberent, quo juvari possent, & delestatari.

Postquam omnibus modis consultum esset, ut integra, & emendata prodiret editio; proxima cura fuit, quod tamen primum, & caput esse oportet, ut novis Observationibus, & additionibus opus illustraretur: & quidem initio animus fuerat breves tantum notas addere, subjiciendas positis à Gavanto: sed cum procedente operæ viderem sic rem jejune admodum, & frigide tractari, ita ut in glorium videri posset studium, nos verò nec liberaremus fidem, nec pacta opera defungeremur; contra verò rem sedulò accurantibus, & minutatim discutientibus, aliud ex alio incideret in mentem, & veluti veniret sub manum, quod materiam præberet notabilium

Obser-

Observationum: fieri non potuit, ut prærigine styli laborantes manus cohiberentur. Rivulus incepit, sed crevit in fluvium, & in eam formam assurrexit nostra Commentatio, ut novum opus haberi posset: nec me penitet admodum laboris, ne quid ab a quo lectore in hoc genere argumenti desiderari debeat, quod esse possit ex usu.

In toto opere ducem nobis sequendum proposuimus Gavantum, sequendum vero ingenua libertate, non vernali obsequio: studiosos nos profitemur tanti Auctoris; at non ita usque ad superstitionem tenaces, ut Religioni ducamus vel latum unguem ab ejus mente, & sententia discedere. In dubiis, & controversiis, ubi res anceps erat, & dubia, prima cura fuit, adire Rubricam, accurate executere, & juxta illam nostram subjicere opinionem: usitatæ pluribus praxeos habita est sua ratio, cum probe noverimus, optimam interpres legis esse consuetudinem. Adserta à Gavanto, ubi vera, aut vero similiora sunt visa, non modò pro viribus defendere, & tueri contendimus; sed novis à Sacra Congregatione editis Decretis, ubi fieri potuit, confirmavimus: non ita tamen cum illo nobis agendum rati sumus, ut ubi ille dixit, pro ratione ita esse debeat sola auctoritas, & malimus cum illo errare, quamcum aliis recta sentire: non ea nobis imposita est lex, & dura necessitas, ut jurati in verba Magistri quaslibet ex ejus opinionibus clypeo, ut ajunt, & hasta debeamus defendere, & tueri. Alicubi hanc nobis indulsimus libertatem, ut fecus sentiremus ac Gavantus, ideoque nostra hac adnotata diximus Observationes: id tamen ubi factum est, factum ut non levia aliqua, & frigida conjectatione, sed solida, & firma ratione, salvo semper eo, qui tanto viro debetur honore, ea que modestia, & moderatione; ut ita fieri non solum patienter ferat, sed libenter velit ipse Gavantus: discessum enim est ut plurimum ab ejus mente, ubi discedere coegerit editum aliquod ab ejus obitu Decretum, cui ille, si viveret, nolle refragari.

Hæc autem Decreta maximum operis momentū, & sum-
mum præsidium, ut decet, esse amamus. Universo operi in duos
tomos distributo, sumpto initio ab Anno 1603. indicem, seu cata-
logum Decretorum S. C. Rituum præmiserat Auctor producendum
usque ad Annum 1628. huic in altera editione pauca quædam im-
plicavit; quæ quamvis provecta à Sac. Congregatione, quæ Episco-
porum, & Regularium negotiis præsedit, ad Sacros tamen Ritus
pertinebant; iisque adjecta sunt alia excerpta à Cæremoniario Jo.
Alcozer. Verùm cum inde ad nostram atatem nova bene multa
prodierint, supplenda fuerunt; congestaque in unum cum iis, quæ
Gavantus exhibuerat, in duos copiosos catalogos, quorum alter,
juxta methodum à Gavanto servaram, ea complectetur, quæ per-
tinent ad Rubricas Missalis, alter ad Rubricas Breviarii; ordine
chronologico, juxta seriem temporum sunt distributa. Suis sunt
etiam ista inserta locis: sed operæ pretium duximus, eorum quoque
catalogum texere, & juxta ordinem temporum, ut mox diximus,
collecta in unum digerere, ut essent in promptu, si quando forent
consultenda. Optimam hic fidem, & sollicitam curam adhibuimus,
quo nata essent tempore facere tutam, ac certam fidem, ne scrupu-
lus suboriri unquam posset de eorum authenticitate. Exegimus e-
nī illa ad ipsa autographa, imò ex autographis ipsis non semeū ex-
scripsimus, cum nobis facilis permitteretur aditus ad Tabularia, &
Archetyporum fieret usura à Sacerdote Antonio Celli Romano, co-
rumdem Tabulariorum Custode; qui hīc à nobis ob ipsius comita-
tem, & ardens, quo fervet, desiderium promovendi hoc genus stu-
diorum, non sine laudis præconio erat opportune commemoran-
dus. Missa autem fecimus, quæ ab Auctoribus asserta, citata, aut
indicata, in Tabulariis, & Regestis S. R. C. reperiri non potue-
runt; ne scilicet apocripha, aut dubia genuinis, & certis fidem de-
traherent. Quoad ista Decreta unum, aut alterum est, de quo

moni-

monitum volumus lectorum. Series Decretorum ab Anno tantum
1602. usque ad Annum 1736. ducitur, quod scilicet per id tantum
temporis referri coeperunt in acta, & describi in Tabulis, quae vo-
cant Regesta. Absolutus erat, & veluti obsignatus uberrimus, &
Decretorum dives chronologicus catalogus, erantque Decreta ibi
digesta, citata in opere, juxta numeros illis præfixos; cum ad ma-
nus nostras & quædam alia pervenerunt Decreta, de quibus eadem
adhibita est cura, ut de eorum authenticitate constaret: si quid mo-
veretur, omnia turbari, & subverti contigisset: quare expeditum
magis visum est, illa rejicere in appendicem, & habendam veluti
Deutero-Canonem; quam priorem catalogum multo, ingratoque
labore reconcinnare, & refingere. Mirari verò, & multò minus
subeat criminari, si in Decretis illis diversa quandoque, imò &
adversa pronuntientur, & edicantur. Norunt qui in Divinarum
disciplinarum fonte vel summa labia proluerunt, quæ Divino jure
sunt scita, puta Sacraenta, & quæ ad eorum substantiam perti-
nent, ea semper immutata permanere fixa, & immobili lege: at
quæ ad disciplinam pertinent, & Ritus, Ecclesiastica auctoritate
constituta, Ecclesiastica item auctoritate pro tempore, & moribus
subire variationem: quare mirum videri non debet, nec absolum,
si quandoque pronuntietur, & edicatur secus ac fuerit olim statu-
tum. Animadvertere etiam lubet, quod hujusmodi Decreta ali-
quando sunt Municipalia, ut vocant, pro aliquo nempe determina-
to loco, seu Dicecisi; aliquando verò universalia, seu quæ pro u-
niversali Ecclesia ex declarationibus à S. C. datis inferuntur: mirum
igitur videri non debet, si quandoque Decretum aliquod particu-
lare, & editum pro casu tantum, de quo agitur, non consonet De-
cretis universalibus: quæ quidem omnia omnibus explorata esse de-
bent.

Supererat tandem summi oneris, & non minoris industria in-
gra-

gratissimus omnium labor, Tabularum scilicet digestio in usum eorum, quibus cura est confidere Kalendaria Ecclesiastica, & ordinem digerere Divini Officii. Suas ediderat Gavantus Tabulas, sed quarum vix ullus, aut difficilis admodum modò fit usus. Ab ejus enim obitu tot factæ sunt in Breviario, & Missali mutationes, & additiones, ut vix, ac ne vix quidem, nec citra acrem animi contentionem ad præsentem rerum statum aptari possint; ut frequentes eorum testantur lapsus, qui iis plus nimirum amant fidere. Novas igitur in hoc opere singere necesse fuit: ampliores damus, quam quas Gavantus emiserat; quarum adeo facilis est usus, & intellectus; ut non magno labore, & studio inde ejus operis conficiendi rationem habeant expeditam, qui tyrones in ea arte sunt minus versati. Omitendum minime putavi catalogum Auctorum, quorum in hoc opere fit mentio. Præstantissimos illos ferme omnes hic habebis laudatos, quos post Gavantum recens nostra protulit ætas, quæ hoc genere studiorum quammaxime delectatur: si cætera desint, hinc studiosus lector saltem de nomine noscet Auctores, qui in hac materia scripserunt, ut sicubi intersit, & ipsi usum præbere valeant proprius inspecti, & consulti: sat nobis fuit ad fontes digitum intendere.

Quia ingrati animi est dissimulare, per quos utcunque proficeris; jus, & æquum postulat, ut non sine laude ii à me commorentr, qui huic editioni, sive ampliandæ, sive ornandæ symbolas contulerunt. Commemorandum autem mihi cumprimis est Reverendissimus Franciscus Gervafius Archipresbyter Ecclesiæ Cathedralis Montisalisci: cum hoc mea frequentius communicavi consilia. Is me opere, & consilio non semel juvit; & hunc potissimum consului, ubi nodus aliquis vindice dignus in praxi Sacrarum Cæmoniarum incideret, quem ille pro ea, qua pollet Rituum peritia, nescias an facilius, vel felicius solverit. In antiquorum verò Rituum;

tuum; rerumque Liturgiarum difficilioribus Quæstionibus examinandi, præstantium virorum in Urbe degentium pariter consilium adhibui, præsertim verò Francisci Pastoris Presbyteri Pedemontani in Sacra eruditione versatissimi. Deinde habenda est mihi ratio Dominici Luchini Pisauriensis Presbyteri, qui in conficiendis memoratis Tabulis, labore, & tædio me levavit: quām sit ejus artis ap̄ primè peritus, ac diligens, hæ ipsæ Tabulæ testes erunt locupletes.

Hæc habui, quæ ad novam hanc editionem Thesauri Sacrorum Rituum conferre posse putavi, de quibus te, amice lector, monitum esse optabam. Sua cuique plus æquo quandoque placent, suisque studiis quisque semper impensius delectatur: at nisi me meus fallat amor, his satis fecisse puto proposito mihi instituto, quod erat opus edere, ex quo omnia suppeterent, quæ forent sci- tu opportuna, & usibus necessaria; ita ut eo habito haud ægre foret carere cæteris. Gavanti Thesaurus ubi primùm prodiit, summo aplausu, & ingenti favore exceptus est: parem gratiam spondere juvat, ubi in majus, meliusque proiectus editur. Hoc unum nobis curæ fuit, tuis commodis, eruditioni, & usibus studere:

tu, lector benevole, favens nostris studiis, ute-
re, & vale.



Gavant. Rubr. Miss.

AP.